

qua carendum esse doleam, praesertim cum id sine ullo sensu futurum sit. Adjuvat etiam aetas et acta jam vita: quae cum cursu suo bene confecto delectatur, tum vetat in eo vim timere, quo nos jam natura ipsa paene perduxerit. Postremo is vir, vel etiam ii viri hoc bello occiderunt, ut impudentia videatur eandem fortunam, si res cogat, recusare; equidem mihi omnia propono; nec ullum est tantum malum, quod non putem impendere. Sed cum plus in metuendo mali sit, quam in illo ipso, quod timetur, desino: praesertim cum impendeat, in quo non modo dolor nullus, verum finis etiam doloris futurus sit. Sed haec satis multa, vel plura potius, quam necesse fuit; facit autem non loquacitas mea, sed benevolentia longiores epistolas. Servium discessisse Athenis moleste tuli: non enim dubito, quin magnae tibi levationi solutus sit esse quotidianus congressus, et sermo cum familiarissimi hominis, tum optimi, et prudentissimi viri. Tu velim te, ut debes, et soles, tua virtute sustentens: ego quae te velle, quaeque ad te, et ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiose diligenterque curabo: quae cum faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non adsequar. Vale.

IX. EPISTOLAE PLINII CAECILII.*

I. C. PLINIUS ATRIO CLEMENTI SUO S.

«Euphratem philosophum laudat, quem ut audiat Atrius hortatur, doletque non crebrius se per occupationes illum audire posse.»

Si quando urbs nostra liberalibus studiis floruit, nunc maxime floret. Multa claraque exempla sunt. Suffecerit
